

respondemus: cum raptus iste, conflagrante interim mundo, per medias ardentis hujus universi flammam futurus sit, corpora illa tum in terris viventium, sic per ignem raptata, non mortem quidem ipsam, sed morti quiddam passæ ἀνάλογον mirâ celeritate, ad incorruptibilitatem transitura.

IIII. IUDICIUM EX- TREMUM.

68. De Iudicio ultimo sive extremo, quod quartum est Mundi novissimum, manifesta rursus Scripturæ sunt testimonia tam Veteris quam Novi Testamenti, ut Psal. 9, 9. Ies. 3, 13. 6, 15, 16. Daniel 7, 10. Soph. 3, 8. imprimis Mat. 25, 31. & Act. 17, 31. Et in Epistola Iudæ, versu 14. & 15. &c.

69. D. Apostolus Iudicij hujus certitudinem asserturus, ratione nititur longè evidentissima, inquiens: Iustum est apud DEVM retribuere tribulationem ijs, qui vos affligunt: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini nostri Iesu, de cælo, cum Angelis potentie suæ.

70. Quæ sanè retributio cum neque piorum, neque impiorum respectu hæc fiat in vita, his quidem felicissimâ, illis verò iniquissimâ sorte fruentibus: firma autem & in concussa in æternum Dei stet iustitia: vel ipsa dicat ratio, superesse ju-